

FAMILIAE
REGVM PON-
TICORVM ET BOSPO-
RANORVM, EX STIRPE
ACHAEMENIDARVM ET ZENONIS
Laodicensis: quæ à D A R I I Hystaspis temporibus
vscq; ad imperium CLAVDII, regnârunt
annos circiter D. L X.
editæ

A

REINERO REINECCIO
STEINHEMIO.

GEORGIVS FABRICIVS.

Bosphorus, & tellus tulerit quos Pontica Reges,
REINER E ingenio notius ecce tuo est.
Vis atrox animi nulli diurna: ter hosti
Romano, factus rex, fera præda docet.
Bestiaq;, & miles custodit corpora frustra,
Addita amicorum sit nisi certa fides,
Fida suo domino, comes irreuocabilis, vna
Inter mille duces Hypsicratae fuit.
Occidit & Machares, sunt fractaq; Pharnaciis armæ:
Impius in patrem hic, perfidus ille fuit.
Regna armis quæsta cadunt, pereuntq; relicta,
Mortali tutum est conditione nihil.

LIPSIAE M. D. LXX.





AK

ADAMVS FRANCISCVS AD LECTOREM.

STemmata si regum, tenuit quos Pontica tellus
Noſſe cupis, breuiter digerit iſte liber.
Ortus Achæmenidum generoſo ſanguine princeps,
Regia Darij munere ſceptra tulit.
Successore Duces, animis & Marte feroceſ,
Magna quibus bello crescere cura fuit.
Romanosq; diu Mithradates pertulit hostes,
Fida cui pellex Hypſicratea comes.
Perfidus at natus, profugum qui cæde parentem
Sustulit, & poenas cæſus ab hoſte dedit.
Hinc Pontum tenuere nouo de ſanguine Reges,
Roma potens donec ſubdita ſceptra tulit.
Quæ veterum euoluens magno monumenta labore,
Reinerus scripto prodidit ecce nouo.
Ergo faue Muſis, & plurima regna memento
Quod Deus ob Regum mutet in orbe nefas.



22.11.2011



N O B I L I T A T E
G E N E R I S , P R Æ C L A =
R A I N D O L E E T V I R T V =
T E O R N A T I S S I M I S A D O L E S C E N T I -
B V S , I O A N N I G E O R G I O , I O A N N I
B E R N H A R D O , I O A N N I S I G I S M V N D O , g e r m a -
n i s f r a t r i b u s à B e r n s t e i n , & I O A N N I H E N -
R I C O à S c h ö n b e r g k , d i s c i p u l i s f u i s
c a r i s s i m i s .

S. D.

HN prodeunt iterum cum nomine
vestro, adolescentes nobiliss. Pon-
ticorum & Bosporanorum Regum
familiae, quas ante quadriennium
vobis, Bernsteinij, conscriptas nunc
tecum etiam, Schonberge, partici-
pandas censui. Nam cum intro-
spicere post cœpissim omnia diligentius, deesse animad-
uerti plurima, quæ tunc properando nimium partim
omiseram, partim minus diligenter & enodate expli-
caram: Quod mihi quoq; contingat, quod dicitur,
d e u t e q; ē i n a i a p e i v o a , posterioresq; cogitationes solere
e s s e s a p i e n t i o r e s . V e s t r u m f u e r i t , q u i c q u i d i d e s t o f f i -
c i j , q u o a m o r e m e r g a v o s m e u m a t q; s t u d i u m t e s t i f i c a r i
v o l u i , a e q u i b o n i q; f a c e r e , t u m i n s t u d i y s , i t a v t c a p i -
A 2 stis,



stis, gnauiter pergere, ut parentum & propinquorum,
adeoq; bonorum omnium, de vobis spei satisfaciatis, &
quibus in cæteris ornamentis abundant familie ve-
stre eruditionis doctrinarum laudibus, has eis conser-
uetis atq; augeatis. Etenim produxisse scimus vtriasq;
& quidem Barbaro adhuc illo superioris temporis sæ-
culo, viros eruditissimos, quiq; eos sint consecuti hono-
res, qui censemur in eruditis maximi : & vidit nostra
ætas inter Romanæ Ecclesie Purpuratos NICOLAVM SCHONBERGV M, cui quan-
tum detulerit CLEMENS VII. Pontifex,
satis nos Italicae condocefaciunt historiæ. Quippe con-
silijs & legationibus ab eo adhibitus fuit grauissimis: è
quibus legationibus facile eæ illustrissimæ omnium
sunt, quas suscepit ad tres potentissimos Christiani or-
bis monarchas, nempe Imp. Carolum V. Cæsarem,
Francorum & Anglorum Reges. Cumq; Romam fe-
liciter & cum laude reuersus, interrogatus esset à Car-
dinale quodam Collega, quid apud singulos maximè
memorabile vidisset: In Gallia pulcrum regnum, in
Anglia Regem pulcrum, in Hispania sapiens consili-
um Regis se vidisse, testatus est. Vnde quod in illo fue-
rit ingenij acumen, quanta prudentia & in indicando
dexteritas, apertū fit omniib. E Museo nostro, Lipsie
Non. Iunij. Anno à nato Christo. M. D. LXX.

Reinerus Reineccius Stein-
hemius.



Q V A M V E T E
R E S R E G I O N E M P O N
T V M A P P E L L A R I N T , Q V A S
I N E A C O L L O C A R I N T G E N T E S , Q V A E
fuerint ibi imperia, quæq; tenuerint ea
familia.

PRincipiò Euxinum Pontum, quod
neq; profundus sit, & fluctuosus at-
que feruens, & accolarum feritas
immena esset, ἦξεν appellatum
acepimus, quod Latini dicerent
accesu peregrinorum carentem,
seu, ut Horatius Poëta reddidit, in-
hospitale. Post accolarum mori-
bus aliquantum, vt Mela ait, mollitis, ita vt adiri iam tutò
possent, & Ponto simul nomen mutatum, cœpitq; is pro
ἦξεν vocari εὐξένος, hoc est, hospitalis. Ac singulari-
ter mare illud Pontus appellatum οὔτ' ἐξοχῆ, vt auctor
est Strabo, quod antiqui illius æui homines quendam ar-
bitrarentur esse Oceanum, & qui eò usq; enauigarent,
non aliter se in exteriora maria ingredi crederent, quam
qui extra fretum Herculeum proueherentur: quia, in-
quit, inter ea, quæ nos admiramus, hoc maximum est.
Cæterum à mari Græci deinde regionem illam, quæ Bis-
thyniæ, Paphlagoniæ & Cappadociæ obiecta, ei adiacet,
Pontum denominârunt: quomodo & vicina ipsi C O L-
C H I S inde videtur appellata, voce, vt ego existimo, Ger-
manica. Nam gurgitem Saxones adhuc hodie propriè
ita nuncupant, & fuisse olim Germanicæ linguae usum

A 3 in



in Colchide (sicuti ne nunc quidem ibi desjisse dicitur) Strabo planum facit libro 5. vbi ex Callimacho Polam Histriæ à Colchis conditam, & lingua Colchica exules denotare, ait, cùm sit Germanicum Wallen / hoc est, peregrinatio. Etsi mallem ipse à sinu, cui Pola adiacet, non men id vrbi datum, vt respondeat Saxonico Poel, id est, sinus seu aqua collecticia. HISTROS quidem Colchorum fuisse colonos, Iustinus tradidit: vt nomen eorum non discernam à Germanico Oster, quasi dicas Orientales, seu ex Oriente profectos: Vnde & Danubium cognominatum aliqui Istrum volunt, quòd versus ortum fluat. Nec tamen fines Ponti certi & immoti constitui possunt, cùm & antiquiores, inter quos Xenophon, regionem hanc Cappadociæ accensere videam: Quod Strabo explicans, Cappadociam à Persis in duas Satrapias distinctam memorat, quarum maiorem, quæ est Taurum versus, postmodum Macedones propriè Cappadociam, alteram Pontum nuncuparint: vt ita tum primum regionis hæc appellatio esse verè cœperit. Ac mutauit Pontus etiam post id tempus fines suos saepissimè, prout scilicet Reges ipsi eos vel protulissent vel contraxissent: victoq; tandem MITHRADATE Eupatore, multiplicitè discerpitur à Pompeio, qui partem eius adiecit Bithyniæ, cum qua & Ptolemaeus Pontum comprehendit, partem distribuit principibus, quorum auxilijs usus fuerat. Tamen me haud repugnantem habiti sunt, qui cum Strabone vocare Pontum malint tractum eum, qui in partibus Paphlagoniæ, Cappadociæ, Mariandynis, Cauconibus, paruit Mithradatii Eupatoris, in quo deinde nouum à POLEMONE Rege Pameleonaci nomen hæsit.

Collocat



Collocat Strabo in Ponto gentes septem: MARIANDYNOS, PAPHLAGONAS, CAPPADOCAS, MOSSYNOECOS, CAVCONAS, CHALYBAS et TIBARENOS: quibus alij addunt MACRONES.

MARIANDYNOS cum Paphlagonibus, Cappadocibus, Mossynæcis & Macronib. ab Heneta deduco stirpe, & originem eorum refero ad RIPHAT & MESC. Nomen Mariandynorum est à THYNIS, à quibus & Bithynos, Mædobithynos & Erithynos propago: ac significatione idem esse censeo, quod Thyni maritimi, sicut Bithyni Thynorum sonant accolas seu finitos, Bithynorum quidem partem cum cæteris Henetis in Germaniam post delatam, consedisse ad Albim & Salam, testantur appellations ab ijs reliqua: Wettin/Wittinburgf/ vulgo & corruptè Wittenbergf: Quomodo à Mædis, & ipsis Henetorum gente, in eadem ora nomen conseruauit vrbs Madeburga, à Sorabis vel Serbis, vt Ptolemæus vocat, oppida Zörbeck/Zerbst. PAPHLAGONES sunt, qui à Paphlagone, Phinei F. denominatos existiment: quod relinquo iam in medio, sicuti illud etiam, quod Plinius fluvium Cappadocem genti CAPPADOCVM nomen dedisse, ait: cum ex Iosepho constet, antea MESCHINOS dictos, à MESC, à quo & MAZACAE vrbis appellatio defluxit, quæ post Cæsarea cognominata Episcopum habuit BASILIVM Magnum. MOSSYNOECORVM nomen Græci trahunt à ligneis calis seu propugnaculis, quæ sua lingua Μέσσουνας vocata, gens hæc inhabitârit. Ego à conditore MESC id dimanasse, cur dubitem, non video, neq; disiungendum censeo à voce MESCHINI, quam de Cappadocibus initio usurpatam diximus ex Iosepho: suntq; eiusdem gentis



gentis denominaciones, **M**OSCHI & **M**OSSYNOE
cī, à quibus postea ījs in locīs reliqua mansit appellatio
Moschicorum montium, Ipsi enim īndē progressi, pau-
latim ad Occidentem & Septentrionem acceserunt, vbi
condidere **M**OSCHOVITAS seu **R**VSSOS: qui Tarta-
rī imperij iugo excusso, latē iam ibi, ac versus ortum
etiam, dominantur.

CAUCONAS neq; nomine neq; origine discerno à
CAUCIS Germanis, quorum eos facio reliquias, quod
cæteris vna cum Ascanijs & Cimbris ex Asia digressis,
isthīc forte remanserint. Quānquam & in Peloponneso
Cauconum nomen reperiatur, vt ibi quoq; partem eo-
rum confeditse, opiner. Diuersos enim, & stirpis atq;
originis diuersæ, Græcia habuit initio colonos: suntq;
gentes ipsæ in perpetuis istis primorum temporum mi-
grationibus varie & inter se & cum alijs commixtæ.
Strabo quidem annotauit, tenuisse **T**HRA CES Atticam,
Boeotiam, Phocidem, Eubœam: quos à nostris gen-
tibus non omnino separandos, alibi demonstrauimus.
Nomina idem quoq; in Laonica **T**EUTHRONAM,
quam Germanicam vocem esse, & eandem prorsus cum
Teuthrania, planè haud ambigo. Sed euidentius adhuc
istam de Ponticorum Cauconum cum nostratis co-
gnatione sententiam confirmat, quod annumeretur Scy-
this: quorum nomen nostrarum propriè fuisse gentium,
& ab hisce reliquis deinde Septentrionalibus commu-
niter tributum, conuenit inter eruditos omnes.

CHALYBIBVS & **T**IBARENIS originem ean-
dē assigno, quam à **T**HYBAL habuisse censeo utrosq;
à quo



à quo Iosephus propagat Hispanos. Nomen Chalybum aliqui volunt esse ab Ebræo IOBEL, quod significat res nascentes in terra (ein gewechs der erden) non nihil transpositis literis. Mihi verisimilius sit, profectum id à conditore THYBAL: & facit Strabo eiusdem gentis appellations: CHALYBES, ALYBES, CHALDAEI, HALIZONES: quas origine easdem tantum enuntiatione discerno. Tametsi ea interim minimè impugnem, quæ de studio ipsorum circa res metallicas prodidere veteres: qua occasione & in Hispaniam eos peruenisse, annotat Iustinus. TIBARENOS Diodorus à regione, quæ TIBARIS ipsi est, nomen accepisse, putat: quod quam mereatur fidem, apertum est omnibus. Ego idem duco cum Hiberorum appellatione, præposito tantum Germanico articulo: quod idem factum docti censem de appellatione TVISCONES, cùm sit ab ASCANE. Ac significant HIBERI fossores (berghewer) ab inquirendis metallis, vom hieben. Nam huius rei gentem istam vñā cum Chalybibus studiosissimam extitisse, tradunt omnes: Vnde factum puto, quod & in Sicilia sedes quæ siuere, quo duce SICANO eos appulisse, indeq; SICANOS cognominatos, Solinus scripsit. Cumq; ibi instituto patrio diligenter metalla scrutarentur, & in eo labore assidui essent, occasionem id figmento de Cycloibus, qui in terræ antris habitarint, dedisse arbitror. Dicerem etiam fluuium Tiberim in Latio Tibarenorum nomen conseruasse: siquidem loca ea à Siculis initio possessa, ex Halicarnasseo notum est. Addit his Strabo, Hiberos Asiaticos condidisse Europæos in Hispania: ut verisimile sit, cum Chalybibus huc eos migrasse. Habuit enim Hispania metalla semper yberrima; & refert Diodorus,

B

Carthas



Carthaginenses prouentibus horum exercitus maximos è Celtis & Iberis seu Hispanis conducere solitos, itaq; alienis opibus & sanguine imperium propagasse. Apollonius TIBARENOS πολύρρηνας cognominat, à passionibus, vt CHALYBAS σμυγεωτάτες ἀνδεῶν, propter patientiam scilicet laborum & duriciem, Das sie sich schmiegen vnd leiden fonten.

Tamen præter hasce octo gentes & Græcorum, maximè verò Milesiorum, fuere in Ponto coloniae plurimæ, ac nominat ibidem Strabo H E N E T O S , à quibus propagat V E N E T O S in Gallia & Italia.

Quæ habuerit initio Pontus imperia, dicere certò non habeo. Diodorus gentes ibi Barbaras à N I N O subactas paruisse deinceps Assyrīs, memorat: quod de hisce nostris an intelligi conueniat, dubitari non immiterit ab attento lectore posset: Quomodo illud etiam, quod Florus communes omnibus Reges attribuit, e quibus antiquissimum nominat A R T H E A M : cùm de Cappadocib; certum hoc sit, etiam ante Persicam monarchiam Regib; eos peculiaribus vsos: ac præterquam quod Ponticorum nomen sub Macedonib; primum in usu esse coepit, vt iam ostendimus ex Strabone, & Chalybas, Mossynœcos & Tibarenos adhuc A R T A X E R X I S Mnemonis temporib; sui iuris fuisse, prodidit in ἀναβάσι: Xenophon: Cui Strabo addit, Chaldæorum & Tibarenorum imperio Mithradati Eupatori cessisse Antipatrum quendam, cùm antea loca ea ferè potentes occupassent. Tametsi Herodotus Tibarenos & Mossynœcos Persicis Satrapijs annumeret, Ergo vt ne
in re



in re obscura & dubia ~~περιεργά γότεροι~~ videamur, omissis
hīscē, accedo ad eius temporis Ponticam historiam, quo
cum reliqua Asia cessere Cappadocia & Pontus pri-
mūm Medis, deinde Persis: cūm exinde regio peculi-
aris Pontus esse cōperit, distīcta, ut dixi, Cappadocia à
Persis in duas Satripias, & alteri ex his postmodum
Ponti nōmīne conseruato à Macedonibus, tum hoc ip-
sum regnum nostrum sit ibi tunc conditum: Etsi qua
id factum sit vel occasione vel tempore, scīrī certò
nequit. Tantum enim hoc annotauit Polybius, tra-
dītum majorib⁹ M I T H R A D A T I S, quem nos quin-
tum facimus, Ponti regnum à D A R I O, non addita vlla
præterea notatione, quo vel numero vel cognomento
Rex ille Persis imperārit. Egotamen ut D A R I V M Hy-
staspis putem accipīendum, in cæteris hoc quoq⁹ permo-
ueor, quòd Cappadociae regnum tum A N A P H A E, cu-
ius maiores inde Medi eiecerant, redditum inueniam:
cumq⁹ D A R I V S omnium primus regnum Persicum in
Satripias distinxerit, imposito singulis tributo, etiam
Cappadociam, ita vt demonstrauimus, ab illo diuisam, &
Mithradatis progenitoribus partem alteram, nempe
quæ ad Pontum Euxinum vergeret, traditam reor.

Incidunt igitur prima regni Pontici initia in impe-
rium D A R I I Hystaspis: Quanquam qui Mithradatem
Ariobarzanis præcesserunt, ferè non nisi Satrapæ in hi-
storij nominentur, & secuti hanc rationem Plutarchus
& Appianus, in eodem quoq⁹ Ponticum regnum ordi-
untur.

Cæterum quis ille, cuiusue nominis fuerit, cui Pon-
ticum regnum concessit D A R I V S, deniq⁹ quod ipsius

B 2 hanc



hanc ad rem interuenierit meritū, nusquam literis prodī-
tum reperimus. Tamen cūm Florus proximē ARTHEAR
subiungat ARTABAZEN, recte de eo intelligi hoc pos-
se, censeo; etiam si non genitum ipsum ē septem illis Per-
sarum principibus, sed ex his vnum fuisse, mallem, id
quod & ipsa tempora arguunt. Neq; obstat hīc, quod
non reperiatur id viri nomen apud Herodotum. Fieri
enī potuit, vt quod haberet ille proprium Herodotus
retulerit, Florus verò quod officium ei dedisset, quomo-
do id Persicarum rerum scriptoribus est usitatisimum:
& scimus, esse hanc caussam præcipuam, quod Persarum
Monarchæ adeò discrepantibus nominibus referuntur
in literis sacris & Græcorum historijs. Approbōq; eo-
rum coniecturam, qui terminationem B A Z Y S seu B A-
Z E S eandem faciunt cum usitata hodie Turcis appella-
tione, B A S S A, sicuti etiam Turcorum nomina, qui in
ista dignitate constituti fuere; cum ea cōponi videmus
à Paulo Iouio: vt ARTABAZES idem sit, quod ma-
gnus Bassa. De eo verò scriptorū sententiae vt conueni-
unt magis, ita certiores etiam sunt, hanc Ponticorum
Regum familiā ab ACHÆMENIDIS duxisse prosa-
piam: licet de propagine eius non omnes idem sentiant,
cūm alij ē septem Persarum principibus, de quibus à no-
bis dictum, alij à CYRO & DARIO, deriuent, ita quis-
dem, vt faciant MITHRADATEM Eupatoria à D A-
RIO vltimo, cognomento Codomano, decimum sextum.
Sed priorem sequi sententiam rectius fuerit: cūm alte-
ram illam nō solum temporis ratio conuellat, sed & Cy-
rus & Darius ipsi distinctis procreati fuerint familijs,
quæ tamen stirpis & originis essent eiusdem, vt est apud
Herodotum; & fuisse ceteroquin Persicos hosce Princi-
pes,



pes, quos ē septem familijs propagat Iosephus, ex Achæmenidarum satu oriundos omnes, notum est ex Aeliano & Iustino, quorum ille ACHÆMENEM Persicæ nobilitatis conditorem vocat. Ut credibile sit, DARIUM regia dignitate ARTABAZEN ornasse, vt sibi nouoꝝ regno suo eò magis ipsū deuinciret: cùm alioqui inter eos, qui genere sunt pares, impares autem fortuna & dignitate, facilè æmulatio existat, quæ deinde in rebellionem & seditionem erumpere ferè assolet.

Prima itaq; Regum Ponticorum familia est ACHÆMENIDARVM, seu ex Achæmenidis ARTABAZÆ: tametsi quibus sobolis gradibus is ab Achæmene descendat, & contingatur vícissim à RHODOBATO, cuius ab eo prima apud scriptores mentio occurrit, sciri omnino nequeat: quomodo etiam de ARIOBARZANE, quæ MITHRADATE Rhodobati eum genitum fuisse, docerent, alia nulla historiæ nobis argumenta suppeditant, quam quod illi in regno successit. Nec minor hac occurrit difficultas de successoribus MITHRADATIS III. quorum proximi duo quibus fuerint nominibus, nusquam traditur: nisi quod Appianus alterum ex illis Mithradatem appellatum, eo significare videtur, quod MITHRADATEM Eupatora eius nominis sextum vocat, qui nobis est septimus, annumerato videlicet Mithrade Rhodobati. Interim tamen generis series inde à Mithrade Ariobarzanis, usq; ad Mithradatem Eupatora, certissima est, & indubitate prorsus: cùm tam Appianus quam Plutarchus hunc ab illo nomen octauum. Et consentaneum vero est, de prioribus familie huius Regibus pauciora in literas relata, quod potentia essent te-

B 3 nuiori.



nuiori, vel etiam Persarum metu, quibus parebant, nihil
auderent: donec tandem A R I O B A R Z A N E S, iugo ho-
rum excusso, primum in libertatem se vendicauit, dein-
de posteri ipsius nouis accessionibus paulatim aucti, & in
his Græcorum colonijs cum parte Cappadociæ, quam
& vniuersam interdum tenuerunt, indies ut imperij am-
plitudine, ita quoq; rebus præclarè & fortiter gestis, facili
sunt celebriores. Finij Achæmenidarum in Ponto re-
gnum D A R I V s, Pharnacis II. F. cui post victoriam
in Philippis restituerat id M. A N T O N I V S Triumuir,
redactum antea in prouinciae formam à Pompeio: Cùm
in Bosporo Cimmerio sese aliquanto diutius conseruâ-
rit, concesso eo primum P H A R N A C I I I. à Pompeio,
& demū M I T H R A D A T I V I I I. à C L A V D I O prín-
cipe, Quem quidem Mithradatem Darij, F. Mithrada-
tis Eupatoris nepotem, facio. Nam ab hoc oriundum fu-
isse, prodidit Dion: & ipse apud Tacitum inter maiores
suos nominat Achæmenem. Ac retinuit autum ibi re-
gnum Romanorum beneficio & permisso post Mithra-
datem C O T Y s frater: à quo quæ sit profecta posteri-
tas, & num illa hoc dignitatis fastigium conseruârit, nus-
quam legitur. Certe & post id tempus regnatum in Bo-
sporo, non obscure scriptores indicant: inter quos Eu-
tropius & Sex: Rufus T R A I A N V M Imp. Bosporano-
rum Regem in deditioñem accepisse, scribunt. Addit his
Capitolinus, datum Bosporanis R H Y M E T A L C E M
Regem ab A N T O N I O Pio.

Immiscuere etiam sese Achæmenidis alia & nouæ
paulatim familiæ: quæ quidem res potentiam illorum,
quæ post uitum Mithradatem Eupatora vtcung; ad-
huc



huc ipsis reliqua erat, maxime evertit. Ac fuere aliae ex
familijis his alijs diuturniores. M I T H R A D A T I S Per-
gameni, A S A N D R I, S E M P R O N I I, cum ipsis simul
interire: Quamuis Asandrum ab Achæmenidis non
planè alienum fuisse opiner, quòd forte in familias plu-
res se diuissent, quomodo ex ijs Phœnicem quen-
dam nominat Appianus. P O L E M O N eiusq; posteritas
ceu partitò & alternatim Ponto & Bosporo cum Achæ-
menidis præfuerunt. Iccircò hanc alteram Regum Pon-
ticorum & Bosporanorum faciemus familiam. Quan-
quam neq; hæc diu floruit, extincta videlicet in Pole-
monis filijs: inter quos P O L E M O N Iunior, cùm permu-
tatione facta accepisset à C L A V D I O Imp. pro Bosporo
Ciliciæ partem, Neroni Pontum volens permisit, paru-
itq; prouincia hæc ab eo tempore imperio Romano.
Enimuero multa docent, Romanos cæteroquin etiam
regias familias cùm omnes tūm eas maxime, quæ poten-
tes antea fuissent, crescere in prouincijs noluisse, facileq;
interire passas (Vnde & Mithradates apud Iustinum
communes Regum hostes vocat) vt ne scilicet quis de-
mum superesset, qui generis sublatus fiducia, ipsorum
vsurpatam in eas dominationem impediret: Contraria
plane Persis consuetudine, qui Regum filios in honore
habere, ac si parentes forte defecissent, his tamen prin-
cipatus restituere solebant, quomodo est apud Hero-
dotum.

EFFI

127YH



EFFIGIES ALIQUOT
PONTICÆ, ENVM MIS
ANTIQVIS DSVMTAE.

MITHRADATIS
EVERGETAE.



H Y P S I .

H Y P S I C R A T Æ , C O N -
C V B I N Æ M I T H R A D A T I S
E V P A T O R I S .



N Vmmorum, vnde effigies hæ desumptæ sunt, amio-
ne Lector, copiam nobis fecit vir Clariss: D. Geor-
gius Fabricius. Quod referendum ideo censui, ne fictas
eas quis suspicaretur, & quantum hac parte viro illi me-
cum omnes debeant, intelligerent. Scribo etiam Mithra-
dates per a in antepenultima, eorundem nummorum fi-
dem secutus: quo loco impressi codi-
ces i habent.

C F A M I -

FAMILIA ET PO-
STERITAS ARTA-
BAZAE, QVAE PRI-
MA PONTO ET BOSPO-
RO IMPERAVIT.

ARTABAZES, oriundus ex regia Achamenidarum stirpe, donatur Ponti regno ab DARIO Hyphasis: quod innuunt Florus lib: 2. cap: 5. Polybius lib. 5.

* * *

RHODOBATVS, memoratur à Laërtio in Platone: & desiderantur hīc Reges, qui ab ARTABAZE regnārunt sub XERXE & ARTAXERXE Longimano, Persarum monarchis. Nam RHODOBATVM ad DARII Nothi tempora refero.

MITHRADATES I. conspirauit cum CYRO iuniorē contra ARTAXERXEM Mnemona, Regem Persarum: cui per TISSAPHERNEN reconciliatus, Græcos auxiliarios frustra insidijs appetitos aperto Marte oppugnat, & repulsus, plurimos suorum amittit. Iunctus deinde amicitia cum CLEA RCHO, tum exule, pōscit Tyranno Heraclienium, reuocatum à ciibus dimitit, pactus cum eo primum patriæ proditionem: in qua ab homine perfido delusus, cum amicis capitur, & ingenti pecunia mulctatur. Locauit PLATONI statuam in Academia cum hac inscrip-



inscriptione: MITHRADATES, RHODOBATI F.
PERSA, MVSIS IMAGINEM PLATONIS DICAT
VIT. Diodorus, Gemistus, Laertius, Suidas, Iustinus. Xenophon
Cappadociae Satrapam nominat. Notat perfidiam eius Polyanus
lib. 7.

ARIOBARZANES, Satrapa Phrygiae, defecit ab Ar-
taxerxe Mnemone, cum & ceteri maritimorum locorum praefecti
cum ipso se coniunxissent, & TACHOS, rex Aegypti, & Graco-
rum ciuitates in Asia, & Lacedamonij contra Persas arma ex-
pedirent: Assiq. objesus ab Autophradate, AGESILAI regis
interuentu liberatur, qui idem & Sestum ei conseruauit, quam op-
pugnabat Cotys. Ut Lacedamonios Thebanis conciliaret, Phili-
scum quendam Abydenum ad utrosq; allegat, eamq; operam uanam
expertus, diligenter pecunijs iuuat Lacedamonios. A Mithradata-
ris obitu Ponto potitus, regnauit annos 26. Xenophon in Ιων. &
de laudibus Agesilai, Demosthenes, Diod. lib. 15. & seq: Plutar-
chus, Polyanus, Gemistus. Meminere Athenaeus libro 10. cap. 1.
Aristoteles 5. Politic.

MITHRADATES II. succedit patri: cumq; posse obi-
tum ALEXANDRI Magni adiunxit se ANTIGONO,
& ob somnium quoddam suspectus huic esse cœpisset, monitu DE-
METRII Poliorceta clam fuga salutem querit, nec nisi sex co-
mitatus equitibus, recipit se in Paphlagoniam: ubi Ciniatis, quod
C 2 castellum



castellum fuit munitissimum, usus receptaculo, regnum inde paternum recuperat, & transmittit ad posteros. Strabo, Appianus, Plutarchus. Diodorus, Cium Mysiae & Arrinam Mithradatem tenuisse, & quod ad Casandrum defecisse putaretur, Antigoni iussu intersectum refert, anno regni viceximo quinto.

M I T H R A D A T E S III. regnauit annos 36. Protulic regnifines in Cappadociam & Paphlagoniam, eaq; re posteris emulationis & contentionum perpetuarum cum vicinis bisce regnis caufsa m dedit. Diodorus, lib. 20.

M I T H R A D A =
T E S I I I .

F I L I V S avōvōvus

Neutrum ex his scriptores nominant : sed familiæ gradus hosce cum aliqua alterius ex ipsis nominis significatione conseruare nobis Plutarchus & Appianus.

M I T H R A =



MITHRADATES. *V.* fecit bellum Sinopensibus, quod Rhodiorum auxilio tum ab ijs defensum fortiter, post maximum rum calamitatum illis initium exitit. *V*sus est amicissimis ACHAEO & ANTIOCHO Magno, Regibus, quorum utrique filias collocauit. Polybius lib. 4. 5. 7. Meminit eius Iustinus libro 38. & quæ dotis nomine ipsi à SELLEVCO Callinico concessa fuerint, exponit: gloriaturq; ibi de ista sua origine Mithradates Eupator.

Nupta fuit Mithradati Filia SELLEVCI Callinici, regis Syriae, è qua nascuntur PHARNACES & duæ Laodiceæ.

PHARNACES. *I.* renouat bellum contra Sinenses, & grauißima obsidione defatigatos, imperij iugum accipere cogit: de qua iniuria post frustra à Rhodijs accusatur apud Romanos. Liuius libro 10. Decad. 4. Strabo lib. 12. vbi quidem Mithradatem Eupatora Sinope natum fuisse, & propterea exornatam hanc magnifice regni metropolin fecisse, ait. Meminit etiam Pharnacis Iustinus, & à Romanis per cognationum arbitria succedaneum EVMENI. *II.* regi Pergameno, datum scribit. Nam fuisse cum hoc ipsi, itemq; ARIARATHE *V.* rege Cappadociæ, rerum quarundam controuersiam, docet Liuius ibidem. Puto eundem esse, à quo Plinius lib. 25. cap. 4. Pharnaceon herbam denominatam tradit. Nam & Mithradatem Eupatora, nepotem, rei herbariae studiosissimum extitisse, & Eupatoriæ herbæ de se nomen reliquisse, constat.

LAODICE maior, fuit cum ANTIOCHO Magno, rege Syriae. Polybius lib. 5.



LAODICE minor, nupsit ACHAEO, qui Asia regem se
nominavit contra Antiochum Magnum. Polybius lib. 8.

PHARNACES. I. filium unicum reliquit MITHRAS
DATUM.

MITHRADATES VI. cognomento ἐὐεγέτης, iuuat
Romanos contra Carthaginenses, bello Punico postremo, & cum
ipsdem oppugnat ARISTONICVM, qui poset ATTALVM
Philometora hæreditatis nomine Asiam sibi vendicabat: ideoque so-
cius & amicus P. R. appellatus, donatur maiore Phrygia. Reno-
uata deinde controuersia, quæ patri cum Cappadocibus fuerat, eos,
quoad in vita manet, hostiliter persequitur. Interficitur per sum-
mam fraudem Sinope à familiaribus. Strabo lib. 12. Appianus
in Mithradat: Iustinus lib. 37. & seq: Orosius lib 5. capit. 10.

Liberi fuere MITHRADATI Euergetæ MITHRA-
DATES, LAODICÆ duæ, Filius ἀνάργυρος, Roxane,
Statyra, Nissa.

MITHRADATES VII I. cognomento Magnus καὶ Eu-
πάτωρ καὶ Διόνυσος, suscipit paterni regni successionem, annum
etatis nondum egressus undecimum: euitatisq; tutorum & coniu-
gis Laodices insidijs, regnat annos 56. seu ut alij habent, 60.
qui & vixisse eum volunt annos 72. Auxit auti principatus am-
plitudinem in cæteris prouincijs Bosporo Cimmerio, tradito ipso à
PARYSADE ultimo, cùm contra Barbaros vicinos is defende-
re se regnum posse desperaret. Quos Barbaros deinde DIOS-
PHANTVS, unus è regijs ducibus, bello adortus, conflixit acie
cum RHOXANIS, qui nunc sunt RYSSI & MOSCHI,
caesis



cæsis eorum ad 50000. Iussus à Romanis abstinere Paphlagonia, quam Rege vacuam inuaserat cum NICOMEDE Bithynio, occupauit Cappadociam, interfectis ibi duobus Regibus, & fugato tertio: cumq; non multò pōsset Nicomedes mortuo immis-
set Bithyniæ fratrem illius SOCRATEM Chrestum, & auxilia denegaret Romanis, reducturis in Cappadociam ARIOBAR-
ZANE M. in Bithyniam NICOMEDEM ultimum, spoliatur
maiore Phrygia. Eam ut recuperaret, simulq; Nicomedis vlcis-
retur iniurias, quas Romanorum impulsu is Ponto intulerat, bellum & ipsi & Romanis fecit grauiſſimum, quod binis inducijs in-
terrupum extendit sese in annum trigesimum, seu ut alij habent,
quadragesimum, alij quadragesimum secundum, alij etiam qua-
dragesimum sextum: suntq; vtrinq; accepta & datae clades maxi-
mae, necatis per Asiam uno Mithradatis edicto, & quidē die uno,
15000. Romanorum ciuium. Tandem victus à Pompeio ad
Stellam Armeniæ, ubi patrum nostrorum memoria dimicauit
cum TAMERLANE Tartaro BAIAZETES I. Imp.
Turcorum, fugaq; perdifficili reuersus in Bosporum, opprimitur
per seditionem à PHARNACE F. cùm & amicorum plurimos
antea occidisset, & exercitum profectione ad CELTAS, quò du-
cere hūc constituerat, bellum isthic contra Romanos renouaturus,
plane à se alienasset. Appianus, Plutarchus, Dion, Strabo, Pausa-
nias, Suidas, Cicero, Florus, Iustinus, Orosius, Eutropius. Scribunt
Plinius, Solinus, Valerius, Quintilianus, Gellius, duarum &
vinti gentium, quas sub ditione haberet sua, Mithradatem calluisse
linguas, ita ut sine interprete alloqui singulas posset. Pro uno
amico fideli, LEO NICO, capto à Rhodijs, omnes hostium capti-
uos permutauit, ut idem Valerius: aliquando fortuna, semper
animo maximus, ut Velleius: tantaq; vi corporis, ut equos sexiu-
nges



ges regeret, ut ait auctor de viris illustribus. Inter scriptores herbarum & plantarum Epiphanius Mithradatem Regem recenset: ac assignatur ei inuentio antidoti eiusdem, Mithradatici nomine hodiè quoq; noti, quo contra venena ita se munijt, ut postea à filio obseßus, frustra vitam his expellere conatus sit, & ne in hostis perueniret potestatem, BITHICO Gailo (Sic enim pro Bithoco lego, cùm sit Germanicum Wittich) iugulum ferendum præbuerit. Vsus est canibus ad custodiam corporis, quibus hostes ac insidiatores arceret, item, ut Aelianus tradidit, tauro, equo & ceruo, mansuetatis, qui dormiente ipso aduentantes proderent suis vocibus. In elogio quodam Pompeij, quod incisum Romæ fuit tabulae æneæ, victoria de Mithradate cum fædis eius insignitus commemoratur, & ipse apud Lucanum de ea sic gloriatur:

Idem per Scythici profugum diuortia Ponti
Indomitum Regem, Romanaq; fata morantem,
Ad mortem, Sylla felicior, ire cœgi.

LAODICE maior, fuit in matrimonio fratri Mithradatis, quo profecto in Asiam, speculatum ibi regionū & urbium situs, cùm in amicorum concubitus se proiecisset, & reuerso venenum parasset, iussu eius interficitur. Iustinus lib: 37.

Filius ἀνώνυμος, occiditur à fratre. Strabo lib. 12. Appianus in Mithrad.

Laodice minor, nupsit ARIARATHI. VI. regi Cappadociae, deinde Nicomedi III. regi Bithynia. Iustinus.

Roxane



Rboxane & Statyra permanent innuptæ ad annum ætatis
vñq; quadragesimum: tandemq; fratri iussu venenum bibere co-
actæ, ut ne scilicet in LVCULLI potestatem viuæ perueni-
rent, Rboxane quidem multa ob id in Regem execrata est, Sta-
tyra verò eum laudauit, quod in discrimine vitæ ipsarum, ut libe-
ræ & castæ morerentur, curam gereret. Plutarchus in Lucullo.

NISSA, venit in Luculli potestatem, captis Cabiris, vi-
taq; donatur. Plutarchus in Lucullo.

Coniuges MITHRADATES Eupator plures & diuer-
sas habuit: è quibus nominantur LAODICE soror, quæ pe-
rit Drypetinen & filium avavuor: MONIME Milesia, BE-
RENICE Chia.

Drypetine, dupli ordine dentium admodum deformis, fugæ
patris, à Pompeio deuicti, comes extitit: à quo ob morbum, quo
afflidiari cœperat, in Sinhorio castello cum Menophilo Eunicho
relicta, obsidetur mox à Manlio Prisco: cumq; nulla euadendi spes
esset, Eunuchus, ut vtriusq; pudori consuleret, ferro illam seq; tru-
cidat. Valerius lib. 1. cap. 8. Ammianus lib. 16.

Filius, nascitur patre Asiam perlustrante. Iustinus.

Concubinas etiam MITHRADATI scriptores attri-
buunt plurimas: è quibus non nisi duarum referuntur nomina,
nempe STRATONICAE & HYPSCRATÆ AE.

STRATONICE nascitur Xiphares F. Plura de ea Ap-
pianus & Plutarchus.

D Xipha-



Xiphares, interficitur à patre, cædem
ex aduerso matre spectante: quam ob
arcem quandam cum thesauris Pompeio
traditam, ita ille vlcisci satageret. Plu-
tarthus in Pompeio, Appianus in Mi-
thradat. Orosius Exipodram vocat.

HYPSCRATAEA, in concubinis MITHRADAT
TEM tam constantissimo amore prosequitur, ut eius caussa præ-
cipuum formæ suæ decorem in habitum virilem conuerterit, ton-
sisq; capillis, equis & armis se assuefecerit, ut laboribus eius atq; pe-
riculis interesset: victoq; demum à Pompeio, ac per efferas gen-
tes fugienti, fida comes adhæserit. Valerius lib. 4. cap. 6. coniu-
gem Mithradatis, & reginam, vocat: qui cum & numinus supra-
positus conuenit. Nos sequimur Plutarchum.

Relique MITHRADATIS tam coniuges quam concu-
binæ quibus fuerint nominibus, ignoratur: Tamē liberi eius nomi-
nanciū sedecim, de quibus hanc sequor seriem: Ariarathes, Ar-
cathias, MITHRADATES, MACHARES, PHARNA-
CES, CLEOPATRAE duæ, Mithradatia, Nissa, Artapher-
nes, Cyrus, Darius, Artaxerxes, Oxatres, Orsabar, Eupatra.

Ariarathes, expulit patris iussu è Cappadocia ARIO-
BARZANEM Regem, cumq; tam præclaro factō mox sibi iniui-
diam illius parasset, mandato eius veneno necatur. Appianus in
Mithradat. Plutarchus in Pompeio, Iustinus.

Arcathias



Arcathias, missus à patre cum copijs in Macedoniam, quæ exiguis Romanorum præsidijs firmata esset, breui vniuersam perdomat, moxq; inuasurus in SYLLA M, oppugnantem ATHENAS, morbo oppressus, moritur circa Tydeum. Appianus in Mithradat.

MITHRADATES, Colchis depositibus REX à patre datus, eaq; re illi de insidijs factus suspectus, atq; compræhendi iussus, trucidatur in vinculis. Appianus in Mithradat.

MACHARES, donatur à patre regno Bospori: quo victo & pulso, cùm societatem iniuisset cum LVCULLO, promissa ipsi corona aurea, sic patrem exacerbavit, ut desperatione uenia, quam frustra per legatos petiuerat, & grauioris supplicij mente, manus sibimet ipsi intulerit. Appianus in Mithrad: Plutar-chus in Lucullo. Florus in Epit. lib 98. Lacharem vocat. Dion ait per familiares occisum suos, à Mithradate pecunia corruptos.

PHARNACES. II. Mithradatis filiorum honoratissimus, & ad regni successionem destinatus, victimum à Pompeio tollere per insidias conatur: qua re prodita, cùm salute donatus, apertam seditionem concitasset, & conciliatis sibi ijs, qui ad compræhendendum ipsum missi fuerant, patrem Panticapæi ob sedisset, etiam fugæ illi, quantumuis suppliciter roganti, copiam denegat, arceq; dedita, spirantem adhuc & palpitantem satellitibus confiendum præbet. Ergo parricidio & scelere tam nefando Bosporo potitus: quæ regio sola è tot prouincijs Mithradati reliqua manserat: traditòq; patris cadavere, REX atq; amicus à Pompeio appellatus, regnat annos 15. Post pugnam Pharsalicam Cæsari se

D 2 commen-



commendaturus, propter ea quod nulla Pompeio misisset auxilia,
ceu amicitiae desertor cum contumelia reiicitur: Quodut vindicaret,
simulq; paternum regnum recuperaret, illo bello Alexandri-
no distento, occupat Colchidem, peruestataq; Armenia, Cappado-
cia, Bithynia, & Domitio Caluino, cui Cæsar Asiam cum finitimis
provincijs commendârat, in fugam coniecto, Pontum quoq; non
magno negotio recipit: Cumq; provincijs hisce Cæsari eas repeten-
ti cedere postea nollet, & vltro etiam bellum ei inferret, profliga-
tur ad Zelam adeò & celeriter & facile, ut Cæsar victoriā amicis
significaturus, Romam scriberet: Veni, vidi, vici: ac reuersus ex
fuga in Bosporum, interficitur ab Asandro, anno etatis quinqueage-
fimo. Strabo, Plutarchus, Appianus, Dion, Suidas, Hirtius, Vel-
leius, Suetonius, Florus, Eutropius, Orosius.

CLEOPATRA maior, cognomento οὐλήνη, collocata
TIGRANI, regi Armeniae, nefario ab eo parricidio Seleuciae oc-
ciditur. Strabo, Plutarchus, Iustinus.

Cleopatra minor, à patre vnicè dilecta, eripitur Phana-
goriensis obsidionis periculo, dicitur ad hoc præmissis. Appianus.

Mithradatia & Nissa, destinatae in connubium Aegypti & Cy-
pri regibus, veneno se necant, obesse patre à Pharnace. Appianus.

Artaphernes, Cyrus, Darius, Artaxerxes, Oxatres, Or-
sabaris, Eupatra, capti Phanagoriae à Castore, & Pompeio traditi,
Romæ in triumpho ducuntur. Appianus in Mithradatico: qui
cum de filiis Mithradatis conuenit Plutarchus, sed pro filiabus so-
rorem eis adiungit. Aliter de eadem re Orosius lib. 6. cap. 5.

PHARNACE II. geniti sunt DARIUS & DY-
NAMIS. Meminit Strabo & aliorum Pharnaci filiorum, qui
Arsacen



Arsacen quendam res nouas molientem, & occupato Sagylio ca-
stello, tyrannidem affectantem, captum trucidarint, sed nominibus
ipsorum omisiss.

DARIVS recepit Ponticum regnum à M. Antonio Tri-
umuiro, uictis ad Philippus Cassio & Bruto. Appianus lib. 5. de
bellis ciuilibus.

DYNAMIS, à patre inter pacis conditiones Cæsari
Dictatori in matrimonium oblata, nupsit post cædem illius Asan-
dro, à quo regni hæres instituta, dotis loco primùm id Sempronio
deinde Polemoni attulit. Appianus, Dion.

¶ Cæterum cum Bosporanum regnum PHARNACI
II. ademtum paruerit aliquantisper alienis, qui tamen partim
necessitudine, partim affinitate Achæmenidis iuncti essent, præ-
reundi hēc à nobis minimè fuere, suntq; nomina horum: MI-
THRADATES, ASANDER, SEMPRONIUS.

MITHRADATES, Pergamenus, natus è pellice
Mithradatis Eupatoris, patre Adabogione, tetrarchicæ Galata-
rum stirpis viro, & regijs disciplinis apud eundem Mithradatem
imbutus, adduxit auxiliares Cæsari copias contra Alexandrinos:
ob quod meritum posse victum Pharnacem Bosporo donatus, inte-
rimitur ab Asandro. Strabo, Iosephus, Appianus, Hirtius.

ASANDER, præpositus Bosporo à Pharnace Rege,
longius illi in Romanorum fines progreso fidem frangit & rebel-
lat, nec multò posse victum à Cæsare occidit: cumq; Dynamini
vixorem duxisset, regnum sibi vendicat, quod fortiter defensum con-
tra Mithradatem Pergamenum, deinde quoad vixit, retinet. Di-

D 3 on,



on, Strabo, qui quidem ipsum nunc Casandrum nunc Lysandrum
vocat, corruptis sine dubio exemplaribus. Appianus aliter nonni-
hil de his explicat.

S E M P R O N I V S, Mithradatis se nepotem, & ab
A V G V S T O Cæsare Bosporo donatum simulans, dicit posse
Asandi fata Dynamini: regnumque ita fraude adeptus, fraude
rursum amittit, interfactus paulò post suorum conspiratione.
Dion.

D A R I O procreatos censemus M I T H R A D A T E M
& C O T Y N.

M I T H R A D A T E S V I I I . consequitur Bosporanum
regnum à C L A V D I O Imp. cui pro parte Cilicia concesserat id
Polemon: nec multò post à Romanis extorris actus, profugit ad
E V N O N E M , regem Adororum: cuius rogatione atq; opera
salute donatus, Romanum captiuus abducitur: nihil prorsus ista ca-
lamitate fractus, sed omnem fortunæ impetum foriter perferens.
Dion lib. 60. Tacitus lib. 12. Plinius lib. 6. cap: 5.

C O T Y S, adiunxit se Romanis contra Mithradatem
fratrem, eoq; facto regnum illi ademptum familie conseruat: de
qua tamen nihil ab auctoribus proditum reperitur: et si &
posse ipsum regnum in Bosporo constat.

F A M I -



FAMILIA ZENONIS LAODICENSIS.

Zeno, orator Laodicensis, afficit patriam multis & magnis
ornamentis. Strabo libro 12. Reliquit filium POLEMONA.

POLEMON. I. donatur ab Antonio posse prælium in
Philippis Ponti parte ea, quæ ad Cappadociam vergit. Eundem ad
Parthicum bellum secutus, peruenit in hostium potestatem posse
Statiani Duci cladem, dataq; pecunia rursus dimittitur: Quem
tamen acerbum casum ut noua liberalitate subleuaret Antonius,
permittit ei minorem Armeniam. Missus ab AGRIPPA, gene-
ro Augusti Cæsaris, contra Sempronium, Bosporanos cæso illo nihilo
minus arma contra se ferre ausos, prælio superat, ductaq; in ma-
trimoniū Dynami, cum Colchis in potestatem suam suscipit. A quo
tempore cum varijs bellis vicinos Barbaros fatigaret, interq; hos
Aspungitanos per insidias & amicitiae simulationē opprimere cona-
retur, proditis ijs, prælio ab hoste excipitur, & captus, trucidatur.
Strabo lib. 11. Appianus lib. 5. de bellis ciuilib. Dion. lib. 49. & 54.

Fuere Polemoni coniuges duæ, DYNAMIS, Pharnacis
II. F. & PYTHODORIS, Pythodori Nyssaensis, hominis
prædiuitis F. è qua suscepti sunt ZENO, POLEMON, Filia
avvuuos.

ZENO, cognomento Artaxia, euocatus ad regnum ab
Armenijs, inaugurator à GERMANICO Cæsare, Artaxatae
diadema & sceptrum ei tradente: cum emulatione morum & cul-
tus,



rus, quibus iam inde à pueritia insueverat, id gentis studium sibi conciliaasset. Tacitus.


POLEMON. II. obtinet paterni regni successionem à CALIGULA Imp. sed pro Bosphoro accipit pòsē à Claudio partem Ciliciae. NERO etiam permissu ipsius Pontū in prouinciam redegit, qui Polemoniacus inde vocari cœpit. Ut potiretur nuptijs Berenices, filiae A GRIPPAE prioris, regis Iudeorum, circumcidisti se passus es: cumq; illa ebrietate eius & intemperantia offensa, rursus matrimonium eius deseruisset, ipse quoq; Iudaismo abiecto ad gentiles superstitiones redijt. Iosephus lib. 20. Antiquit. Iudaic. Dion, Suetonius, Victor, Eutropius.

Filia ἀνώρυπος, nupsit Cotyi Sapao: quo interfecto, in viduitate permanxit. Strabo libro 12.

LIPSIAE

Iohannes Rhamba excudebat, 1570.





No 4

No 4



IN E A D E M.

*M I T I S hic est Vrsus, rectog. incedere vultu
More hominum sicut: Ne fugite hinc homines.
Omnes humanos decet esse: At propria stirpis
Bernstenia virtus est, placido esse animo.*

Petrus Albinus Niue-
montius.

LIPSIAE,



FAMILIAE

REGVM PON-
TICORVM ET BOSPO-
RANORVM, EX STIRPE
ACHAEMENIDARVM ET ZENONIS
Laodicensis: quæ à D A R I I Hystaspis temporibus
vñq; ad imperium CLAVDII, regnârunt
annos circiter D. L X.
editæ

A

REINERO REINECCIO
STEINHEMIO.

GEORGIVS FABRICIVS.

*Bosporus, & tellus tulerit quos Pontica Reges,
REINER E ingenio notius ecce tuo est.
Vis atrox animi nulli diuturna: ter hosti*

Farbkarte #13

